Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



cus

221

Tunc cœpit exprobrare ciuitates in quibus facte sunt plurime uirtutes eius
quia non egissent penitentiam Ve tibi Corozain Ve tibi Bethsaida quia
si in Tyro et Sydone facte essent uirtutes que facte sunt in uobis olim
fortasse et cinere penitentiam egissent Verumtamen dico uobis Tyro et Sidoni
remissius erit in die iudicii quam uobis · Et tu Capharnaum nunquid
usque in celum exaltabis Usque in infernum descendes Quia si in Sodo
mis facte fuissent uirtutes que facte sunt in te forte mansissent usque in
hunc diem Verumtamen dico uobis quia terre Sodomorum remissius
erit in die iudicii quam tibi · In illo tempore respondens ihesus dixit
Confiteor tibi pater domine celi et terre quia abscondisti hec a sapientibus
et prudentibus et reuelasti ea paruulis · Etiam pater · quoniam sic fuit placitum
ante te · Omnia mihi tradita a patre meo · et nemo nouit filium nisi pater
neque patrem quis nouit nisi filius et cui voluerit filius reuelare · Ve
nite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam uos Tol
lite iugum meum super uos · et discite a me · quia mitis sum et humilis corde
et inuenietis requiem animabus uestris Jugum enim meum suaue est onus meum leue

Y·II·

Hinc Jesus per sata sabbatorum · Discipuli autem eius esurientes cœperunt spicas uellere et
manducare Pharisei autem uidentes dixerunt ei Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis At ille dixit eis Nonne legistis
quid fecerit dauid quando esuriuit ipse et qui erant cum eo Quomodo intrauit
in domum dei et panes propositionis comedit quos non licebat ei edere
neque eis qui cum eo erant nisi solis sacerdotibus · Aut non legistis in lege
quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum uiolant et sunt innocentes
Dico autem uobis · quia hic templo maior est Si autem scisset
quid est misericordiam volo et non sacrificium nunquam condempnasset
innocentes · Dominus enim filius hominis est etiam sabbati · Et cum inde
transisset uenit in synagogam eorum Et ecce homo manum habens aridam
Et interrogauerunt eum dicentes Si licet sabbatis curare ut accusarent
eum · Ipse autem dixit eis Quis erit ex uobis qui habeat
ouem unam · et si ceciderit hic sabbatis in fouea nonne tenebit et le
uabit eam · quanto igitur magis melior est homo ouis · Itaque licet sabbatis
bene facere · Tunc ait homini · Extende manum tuam · et extendit · et re
stituta est sanitati sicut altera · Exeuntes autem pharisei · consilium fecerunt
adiuersus eum quomodo eum perderent · Ihesus autem sciens cognouit eorum insidias